



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.43. Paulus Diaconus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

cendos alios deligatis. Eadem epistola <sup>Sæcul. VIII.</sup>  
 ad Metropolitanas missa, quæ omnibus <sup>A. C. 787.</sup>  
 Episcopis eorum Suffraganeis, omnibus  
 que Monasteriis communicaretur. Li-  
 bros quoque veteris & novi Testamenti <sup>ibid. p. 203.</sup>  
 Exscriptorum ignorantia vitiatos corrigi,  
 & a Paulo Diacono Homiliarum Patrum  
 selectarum collectionem in duobus volu-  
 minibus ad officia Nocturna legendam  
 concinnari Carolus iussit, quam ad Le-  
 ctiores omnium Ecclesiarum direxit.

## §. XLIII.

*Paulus Diaconus.*

Paulus Diaconus doctissimis illius ævi  
 viris merito accensendus, ex Longo-  
 bardorum Gente ortus, Patre Warne-  
 frido, cujus nomen quoque gerebat, a  
 puero artibus liberalibus instructus, De-  
 siderio Regi ab epistolis fuit, quem in  
 aula omnes maximi faciebant. Rege  
 Desiderio dejecto, Rex Carolus Paulum <sup>Sup. §. 5.</sup>  
 ob insignem eruditionem apud se reti-  
 nuit, amavitque; sed elapsis aliquot an-  
 nis ab invidis accusatus, quod contra  
 Carolum conjurasset, in Insulam ad Ita-  
 liæ littora sitam relegatur. Annis rur-  
 sus aliquot ibi exactis fugiens Beneven-  
 tum venit, ab Arigiso Duce & Adelper-  
 ga Coniuge, Desiderii Regis filia amice  
 exceptus. Ibi ab Adelperga rogatus  
 Compendium Historiæ Romanæ Eutro-

Sæcul. VIII.  
A. C. 788.

prius a Juliano Apostata usque ad Justinianum persecutus est. Duce Arigiso hoc anno 787. fatis functo, ad Montem Casinum se recipiens, Institutum Monasticum sub Abbate Theodemaro amplexus est. Eodem Abbate postulante commentarium in Regulam S. Benedicti elucubravit. Ubi vero ad Regis Caroli notitiam devenit, quod Monasterium esset ingressus, felicem sortem ei gratulari non est dedignatus data epistola versibus latinis concinnata, cui Paulus in eodem scriptiois genere respondit. Ante exilium suum scripserat historiam Episcoporum Metensium ab Episcopo Engerrano stimulatus. Celeberrimum autem Operum ipsius est Historia Longobardorum ab origine hujus Gentis usque ad Pauli ætatem scilicet usque ad Luitprandi Regis mortem deducta.

*Hist. Longob.*  
*lib. VI. c. 16.*

## §. XLIV.

*S. Willehadii obitus.*

Cum Rex Carolus Wormatiæ verfaratur, Saxonia tunc pacata, ad novos Episcopos inducendos animum adiecit, fundavitque Ecclesiam Osnabrugensem in Westphalia, ubi primus Episcopus fuit Viho, S. Bonifacii Discipulus, anno 788. ordinatus. In ulteriorem regionem missus est S. Willehadius, jam pridem Episcopi nomine decoratus, quod in amplissima

*vit. S. Willehadii.*  
*lib. c. 8. to. 4.*  
*Act. SS.*  
*Ben. 409.*  
*Sup. 9. 17.*